



gavit si homo galileus esset. Et ut cognovit qd de herodis potestate esset remisit eum ad herodem: qui et ipse hierosolymis erat illis diebus. Herodes autem visus iesu: gavisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum. eo quod audiret multa de eo. et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem principes sacerdotum et scribe constanter accusantes eum. Sprevit autem illum herodes cum exercitu suo et illustris induit veste alba: et remisit ad pilatum. Et facti sunt amici herodes et pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad invicem. Pilatus autem provocatis principibus sacerdotum et magistris et plebe: dixit ad illos. Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum. et ecce ego coram vobis iterrogans nullam causam invenio in homine isto: et his in quibus eum accusatis. Sed neque herodes. Nam remisit vos ad illum: et ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum unum. Exclamavit autem simul universa turba dicens. Tolle hunc: et dimitte nobis barrabam. Qui erat propter seditionem quamdam factam in civitate et homicidium missus in carcerem. Iterum autem pilatus locutus est ad eos volens dimittere iesum. At illi succlamabant dicentes. Crucifige crucifige eum. Ille autem tertio dixit ad illos. Quid enim mali fecit iste? Nullam causam mortis invento in eo. Corripiam ergo illum et dimittam. At illi instabant vocibus magis postulantes ut crucifigeretur. et inualescebant voces eorum. Et pilatus ad iudicavit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem: quos petebant. Iesum vero tradidit voluntati eorum. Et cum duceret eum: apprehende-

rit simonem quendam cyrenensem vententem de villa: et imposuerunt illi cruce portare post iesum. Sequitur autem post illum multa turba populi et mulierum: quae plangebant et lamentabantur eum. Convertertus autem ad illas iesus dixit. Filie iherusalem: nolite flere super me: sed super vos ipsas flere. et super filios vestros. Quia ecce veniet dies in quibus dicent. Beate steriles. et ventres qui non genuerunt: et vbera quae non lactaverunt. Tunc incipient dicere monibus: cadite super nos. et collibus opite nos. Quia si in viridi ligno haec faciunt in arido quid fiet? Ducebantur autem et alij duo nequa cum eo: ut interficerentur. Et postquam venerunt in locum qui vocatur calvarie. ibi crucifixerunt eum: et latrones unum a dextris: alterum a sinistris. Iesus autem dicebat. Pater dimitte illis. Non enim sciunt quid faciunt. Dividentes vero vestimenta eius miserunt sortes. Et stabat populus expectans: et deridebat eum principes cum eis dicentes. alios salvos fecit: se saluum faciat. si hic est christus dei electus. Illud autem et ei milites accedentes: et acetum offerentes ei dicentes. Si tu es rex iudeorum: saluum te fac. Erat autem et superscriptio scripta super eum literis grecis et latinis et hebraicis: hic est rex iudeorum. Unus autem de his qui pendebat latronibus blasphemabat eum dicens. Si tu es christus: saluum fac teipsum et nos. Respondens autem alter increpabat eum dicens. Neque tu times deum. qui in eadem damnatione es. Et nos quidem iuste nam digna facias recipimus. Hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad iesum. Domine: memento mei cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi iesus. Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso. Erat autem fere hora sexta: et tenebrae factae sunt in universam terram usque in horam nonam. Et obscuratus est sol. Et velum

B
Mat. 25. f
mar. 14. f.

C
Act. 23. c.

mat. 27. b.
mar. 15. a
mat. 27. c. m. r.
15. b. 30. 18. 9
Act. 3. c.

D
Act. 23. c

Mat. 27. c. mar.
15. c. 30. 18. 8.

mat. 27. d.

Or. 15. c

sup. 2. d. Sap.
3. Cla. 54. gal.
4. d
Apo. 6. d. et. 9.
b. Cla. 2. e
Osee. 10.
mat. 27. d.
mar. 15. d
Job. 19. c.

mat. 27. d
mar. 15. d.
Job. 19. d

mat. 27. f. mar.
15. f. Job. 19. e
mat. 27. e. mar.
15. e. Job. 19. d

mt. 27. e.
mar. 15. e.
mat. 27. e
mar. 15. e.

Apo. 6. c.